

13

2

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
STATU PRÆTERNATURALI
SUCCI RETIS MALPIGHIANI,
SEU
DE MORBIS SUPRACUTANEIS


QUAM
ADNUENTE SUMMO NUMINE
EX DECRETO
CELEBERRIMÆ EX EXPERIENTISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN UNIVERSITATE REGIA BOR. DUISBURGENS.
PRÆSIDE

D O M I N O
JO. GOTTLOB. LEIDENFROST
MED. DOCT. ET PROFESS. PUBL. ORDIN.
ACAD. REG. SC. BEROL. SOD.

PRO GRADU DOCTORIS
ET SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOHANN. MELCHIOR. ZWICKI
EX MOLLISIA PAGI GLAKONENSIS HELVETUS.

DIE VII. OCTOBR. MDCCLXXI, H. L. Q. S.



DUISBURGI AD RHENUM
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGR.,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



Q. D. O. M. B. V.



Hæc dissertatio inauguralis
dilectissimæ & felicissimæ
PATRIÆ MEÆ cum
voto sempiternæ salutis &
prosperitatis dedicata esto,
cujus amor & existima-
tio & desiderium, quamvis ex illa per plu-
res annos fuerim absens, me nunquam de-
seruit. Quum enim *Tigurinam* patriam
primo, deinde *Argentoratensem* celeberrimam
universitatem studiorum physicorum
medi-

medicorum & chirurgicorum causa frequentassim, animus me impulit, ut *Bata-
vorum* illustrissimam viserem terram, unde in regionem germaniæ ad inferiorem Rhenum delatus non modo, ut in ipso exercitio artis medicæ versarer, nactus sum occasionem, sed etiam doctissimorum in Academia Duisbürgensi Professorum institutione & consilio adjutus spero me, pro tenuitate mea, eos fecisse progressus, ut *di-
lectissimæ Patriæ* me civem reddere queam, cum intentione ac voluntate, ipsi secundum cognitionis meæ modum fideliter servien-
di. Quam ob causam, quoniam facultas medica excellentissima Duisbürgensis me gradu doctoris medici judicavit exornan-
dum, has theses inaugurales more majorum præmittere decrevi, quas ut B. L. æqui & boni consulere velit, enixe rogo.

J. M. ZWICKI
AUCTOR.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
STATU PRÆTERNATURALI
SUCCI RETIS MALPIGHIANI
ID EST
DE MORBIS SUPRACUTANEIS.



§. I.

Aliquando prodest rem notam ex alio latere intueri, ita enim notior evadit & speculanti perfectiorem facit ideam. Liceat igitur de *succi glutinosi* quo epidermis cuti veræ jungitur, quique *retis sic dicti malpighiani* spatium replet, aberrationes a statu naturali ex practicis nonnullis observatis considerare. Id fiet eo confidentius quo major est magni HAL-
LERI,

LERI, morbum in hac parte non improbabilem credentis, auctoritas. *Elem. physiol.* Tom. V. L. XII. §. 14. p. 25.

§. II.

Scopus non est quæ de reti *malpighiano* inventa vel disputata sunt repetere. In brutorum partibus verum rete est ex solidis fibris constans, ut in galli gallinacei & gallopavonis pedibus, respondens manifestis ibi epidermidis squamis, sed ab ea plane sejunctum. Lingua graminivororum potius epidermidem foraminulis pertusam, quam proprium rete exhibet. In homine ab ipsa epidermide difficulter distinguitur, cujus potius ex duplicaturis vel tenuibus processibus in cutim insertis constare, interiorremque epidermidis laminam efficere videtur, quam tamen a vera cuticula separabilem docuit cel. ALBINUS annot. L. I. c. 2. & in æthiope id evidentissimum esse tradunt, qui in hujus nationis cutem inquirere potuerunt, omnes.

§. III.

Hoc reticulum cum epidermide per ignem & cantharides aliasque lædentes causas abscedit, & deinde sola mora renascitur. In ipso ortu indubitate mucosum est, posthac induratur in membranæ speciem, ope sicci aëris & durioris attactus, HALL. l. c. §. 12. Semper mucosum in vivo & sano homine esse WINSLOI sententia fuit, forte a vero non plane abludens, ad minimum certo & vero simillimum evadit, *humorem aliquem mucosum si non rete ipsum faciat, tamen illud perpetuo oblinere,* ex iis autem quæ adducturi sumus persuademur,

eum succum variis mutationibus & morbis obnoxium esse.

§. IV.

Rete ejusque succum diversi coloris esse caracteremque nationum & hominum facere, in æthiopicis nigro colore donari, in brasiliensibus fusco, in Europæis flavescente vel albo, tam certis observatis confirmatum est, ut iis repetendis merito supersedeamus, nam etiam recentissimæ ill. MECKELII disquisitiones hanc stabiliverunt veritatem. Hoc addimus quod etiam in Europæis locus corporis sit ubi naturaliter niger succus, isque nigritarum mucro reticulari similis naturaliter generetur, scilicet tunica oculi uvea, vid. PECHLINUS, *de hab. & col. æthiop.* c. 7.

Neque minus *fordes* sub anteriori margine unguium in digitis manuum pedumque, ubi scilicet ungues refecari solent, omni Europæo nascuntur *nigræ*. Porrigitur autem reticulum sub ungue ad ejus usque extremitatem, sulcis longitudinalibus constans, quibus subjectas fibras papillofas comprehendit, vid. ALBINUS annot. L. II. c. 14. Ex eo exsulant *nigræ* quas dixi *fordes*, non in laboriosis viris modo sed etiam delicatulis & chirotheca se muniuntibus scemellis, & in paucorum mensium pueris. Qualis succus si super totum corpus extenderetur, æthiopum nigredinem referre posset.

§. V.

Succus retis malpighiani est sedes macularum scorbuticarum coerulearum quas per belgium & inferio-

ferioris rheni tractum frequentissime vident medici, quæ scilicet per imperfectam aliquam crisin excitantur. Namque homines scorbutico nondum plene confirmato affecti post diuturnos languores & gravativos artuum dolores, sensum facientes quasi plumbum infusum esset pedibus, ut plurimum subito, vel solius naturæ ope, vel medicinis antiscorbuticis leniter acribus adjuti maculis lividis & coeruleiscentibus imo nonnunquam nigrescentibus super brachia & crura, non raro in facie & manibus scedantur, sine ullo sensibili tumore, sine dolore, sed cum levi quodam pruritu, per quem successive, scilicet post aliquot hebdomades epidermis ejus loci aspera evadit & instar fursurum decidit. Talibus maculis cl. Præses quandoque studio vesicatoria applicuit, unde vesica excitata maculam alias diutius duraturam promte abstulit. Quare dubitari non potest, sedem ejusdem sceditatis in loco retis esse. Erumpentibus autem talibus maculis symptomata lassitudinis dolorosæ scorbuticæ ut plurimum mox levantur, sæpe penitus auferuntur. Quare natura materiam scorbuticam ex musculis, (nam scorbutus proprie est morbus carnis) per metastasin ad epidermidem deponere novit, ut hac via excerneretur.

§. VI.

Coeruleus & subnigricans color in regionibus germaniæ inferioris est quasi character scorbuti specificus. Nam etiam bilis hoc in morbo præsertim adultiori isatoden coeruleiscentem colorem induit, talisque

lisque vomitu rejicitur, & oculorum albuginea tunica ex albido cyanea est, quo sæpe solo signo hæc humorum dyscrasia statim cognosci potest. Retulit cl. Præses, sibi visos aliquot homines scorbuticis symptomatibus affectos unica nocte tot maculis nigrescentibus & inter se confluentibus per totam fere faciem & collum, uti etiam super brachiis & femoribus inquinatos, ut pro æthiopibus eo tempore haberi potuissent, qui tamen color post aliquot hebdomades plane disparuit. An igitur recte affirmatur cum illustr. MALAPERTIO, colorem æthiopum esse morbosam diathesin? aliquod præjudicium scorbutus omnino facit.

Similes maculæ scorbuticæ coeruleæ non modo cutim externam scedare, sed etiam linguam & membranam palati fornicati, imo genas internas frequenter solent obsidere, ideo ut homines *colica* sic dicta *scorbutica*, atrocissimis scilicet abdominis & diuturnis, nec nisi acriori antiscorbuticæ medendi methodo cedentibus doloribus adfecti, totam oris cavitatem coeruleam habeant, qui color sensim evanescens signum est dolorum etiam abdominalium cessaturorum, cujusque duratio pertinaciorum quoque morbum declarat. Quod gingivarum carnes scorbutus primo tumidas reddat, tum erodat, id notum est. An igitur in periglottide & partibus oris reliquis aliquod retis malpighiani æmulum sic invenitur? Negant anatomicorum felicissimi RUYSCHIUS, WINSLOW, ALBINUS, HALLERUS, vid. hujus El. phys. Tom. V. L. XIII. §. 5. Ergo in casu dicto

periglottis ipsa, non reticulum ejus, quod nullum esset, colorata erit. Sed in bobus vaccisque sub hoc externo linguæ involucro stratum mucosum est, in quo ex recentibus observationibus hæc bruta, si stragem luis bovillæ hodie adeo late grassantis evadunt, morboque superato ad sanitatem redeunt, maculam latam lunulatam coeruleam retinent in dorso linguæ, quo signo dignoscuntur ea animalia quæ reconvaluerunt ab illis, quibus falso testimonio superatio morbi adscribitur. Nam bruta ex hoc morbo resurgentia majori pretio veneunt, quia eadem lue posthac libera manere creduntur.

§. VII.

Succus retis Malpighiani in statu naturali acer esse non potest, quia nullum facit pruritus in cute, videtur tamen non plane dulcis sed leniter amaricans esse. Epidermis per violentiam externam pressionis aut ictus a subjecta cute separata, si statim linguæ admoveatur, amaricans est. Si epidermis per ignem aut per morbum abscessit, sapor est amarior, sed id forte igni aut morbo adscribi potest. Si cogites colorem retis malpighiani in aethiopicis nigrum ab atra bile, Europæis ex flavo brunum a similiter colorata bile dependere, amaritiam adesse concedes facilius. Præterea sordes nigre unguium sunt amaroris fastidiosi, & pigmentum atrum uveæ oculorum amarum valde. Atque trans albam cutim ex unctuosos poris biliosam exire materiam, id cerumen aurium docet & fetida illa amara gleba inter pedum digitos

tos colligi solita, & alibi etiam exeuntes amari sudores sub axillis & inguinibus. Quare in *ictero*, quamdiu secretio & transitus bilis per hepar negatur, *tota epidermis flavescit*, succusque reticuli nunc amarior redditus *pruritus* facit, donec cum decidua epidermide sensim extra corpus vertatur. Quin & a nigriori bili niger fere *icterus* oritur. Quam convenientiam coloris externi cum colore bilis hepaticæ ac cysticæ, harumque partium in morbis sympathiam *Santorinus* Obs. anatom. p. 3. & 4. argute indicavit. *Icterus* infantum recens natorum a retento meconio frequenter observatus eandem confirmat. *Coloris igitur ictERICI sedes omnino erit rete malpighianum.*

§. VIII.

Infinite gravior hujus reticuli morbus *scabies* est vel *psora*, quam veterum medicorum schola humoribus biliosis acribus ad cutim versis & pravæ digestionis adscripsit. *GALENUS* atrabilarium esse morbum statuit. In genere autem primi artis medicæ statores, *HIPPOCRATES*, *ARETÆUS*, *GALENUS*, *PAULUS ÆGINETA* hodiernam scabiem vix nosse videntur, aut si norunt, cum lepra confundunt. *CORN. CELSUS* satis accurate quidem eam descripsit, sed nullus eorum contagii meminit, quod tamen hodie fere sola est causa. Quando enim per internas vitæ vires ex toto circulo sanguineo aliquod exanthema ad integumenta deponitur, id ut plurimum salutare est, & graviolem morbum solvit aut critice terminat, tam in acuta quam chronica perio-

periodo, de qualibus paulo post nonnulla ad-
 dentur. Ea autem scabies vel psora, quæ hodie
 per totam forte Europam molesta est, habet signa
 distinctiva sequentia: a) Quod sanissimum homi-
 nem inficere queat, cujus viscera & humores per
 totum decursum morbi nullum vitium necessario
 contrahunt, id quod ETTMULLERUS recte ob-
 servat *colleg. pract.* p. 582. b) Quod *contagio* pro-
 pagetur, id quod nuperum bellum germanicum ni-
 mis certe demonstravit, nam in utriusque partis ex-
 ercitiis scabies furiebat, & propter lectorum pro-
 miscuum in domibus plebejis usum insigniter per
 omnem populum grassabatur, cujus scabiei histo-
 riam Præses descripsit in D. D. FRÖWEINII *Diff.*
inaug. de scabie post nuperum bellum epidemica 1764.
 Præterea in vulgus notum est, contrectatione fre-
 quenti manuum, contubernio, vestimentorum &
 stragulorum communione & familiarum nexu facil-
 lime propagari. c) *Diuturnitas magna hujus mali,*
 cui natura raro aliquos motus vitales opponit ad
 curationem, quippe quæ fere a solis medicamentis
 expectanda est. Nam sine his in tertium plerum-
 que annum cum iisdem symptomatibus, quæ ab ini-
 tio adfuerunt, sine memorabili mutatione molesta
 est, tum vero fuit observatum, ex naturali virtute
 profundos abscessus in cute & tunica adiposa nasci,
 & ope inflammationis & suppurationis hanc vene-
 natam materiam emendari & expelli. Talis dura-
 tio extensa huic malo cum sola lepra communis est,
 nam reliqua exanthemata ex sanguinis & viscerum
 vicio

vitio orta aut citius terminantur, aut certe sympto-
mata mutant. d) *Pruritus iniquissimus*, sine mani-
festa cutis ipsius læsione. Nam *scabies recte sanata*
nunquam cicatricem relinquit, nisi abscessus veri, de
quibus mox dictum est, a natura vel per artem ex-
citantur, potius post scabiei secessum mollis & pul-
chra epidermis extremitatum & trunci renascitur.
Quo solo igitur phænomeno satis probatur, non
profundius hoc venenum penetrare quam in solum
reticuli succum, supremasque cutis papillosas partes
ab ejus acredine vellicari quidem sed non erodi.
Certe qui cum cel. HOFFMANNO sub cute in
tela cellulosa sedem scabiei quærunt, phænomeno-
rum ejus rationem non habuerunt. e) Sola facies
a scabie nunquam occupatur, per reliquum totum cor-
pus ejus pruritus terpere potest. Ita tamen, ut in
manibus, digitorumque interstitiis, pedibus etiam
circa talos & circa ilia & inguina vehementius pru-
riat. Excoriatio autem epidermidis in locis, ubi in-
cisura ejus major & manifestior, ibi etiam major
pruritus, qui omnium maximus in vola. Ex qui-
bus concludere posses, non in omni corporis parte
succum reticuli ad concipiendam scabiem æque
aptum esse, nisi forte sola major vel minor ejus
copia differentiam facere queat. f) Solvitur autem
per scabiem epidermis duplici modo: nam vel sicca
instar furfurum decidit & unguibus avellitur, vel
pustularum specie elevatur, ex qua vel tenuis ichor,
vel materia puris cocti amula fluit. Quæ posterior
citius sanari solet, quia per exsudantem ex cute pin-
B
gue-

guedinem acredo materiae temperatur, ideoque natura ipsa in curationem consentit.

§. IX.

Scabies apte tractata solam externam medicationem requirit, ut HELMONTIUS rectissime dixit Lib. de scabie & ulceribus scholarum. Solum enim sulphur vivum millenis in exemplis sine ulla noxa profuit & cito sanavit, igitur specifica virtute venenum illud, si modo quam proxime applicatur, emendat, nec in cutis vasa, ut metuunt, repellit. Emplastra, in quæ cantharides ingrediuntur GALENUS proposuit, quibus utique succus reticuli multum alteratur, sed cutim jam ex morbo prurientem facile inflammant. Sanat quoque mercurius externe parce applicatus, sed minus iam tuto; arsenicalia sæpe lethifera fuerunt. Adstringentia & firmitatem epidermidis augentia ut plurimum mala. Nam si ex perversa medicatione venenum scabiosum ipsis venis recipitur, gravia sequuntur symptomata, de quibus hic non est dicendi locus.

§. X,

Est etiam *vermiculi* genus, quod succo malpighiani retis delectatur, novamque purientis scabiei speciem facit. Hos accurate ETTMULLERUS descripsit & figuram microscopio auctam ære expressit in act. Erud. Lips. 1682. quorum & SCALIGER meminit Exerc. 194. & MOUFET in Theatr. insect. l. 2. c. 24. *Sirones* vocant. In Saxonia

nia & Thuringia frequentes, anthelminticis exter-
nis facile necantur, quos etiam matres ex pustulis
excitatis ope aciculæ extrahere norunt. Post accu-
ratissimum examen, quod in centenis se instituisse
affirmat Præses, qui inter Saxones sæpe eos vidit,
ad Rhenum inferiorem nulli unquam inveniuntur,
ideoque, qui omnem scabiem voluere verminosam
esse, certissime falluntur. Quum infecta sint, quæ
acerrimis & amarissimis herbis alantur, & ipsa bilis
hepatica in ovibus & cervis, forsan & in homine
quorundam vermium sit nutrimentum, non est
mirum & reticuli succum a vermiculis amari. Vi-
dentur enim Sirones non multum abluere ab illis,
qui super caseum veterem acerrimum quasi pulve-
rulentum copiose generati totum eum successive devo-
rant, nam hi microscopio visi ETTMULLERIA-
NÆ iconi prorsus similes apparent.

§. XI.

„ Pene ineptiæ sunt, ait CORN. CELSUS
„ curare *varos & lenticulas & ephelidas*, sed eripi
„ tamen sceminis cura cultus sui non potest L. VI.
„ c. 5. Tales maculæ faciem ut plurimum, uti &
collum & thoracis superiora, nonnunquam manuum
dorsâ scedant, potiusque ad reticulum, quam ad
epidermidem pravus color referri videtur, quia lo-
cum non mutant, & cuticula, etsi furfurum instar
continuo ibi desquamatur, macula tamen iisdem
terminis circumscripta manet, nec cum caduca epi-
dermide perit, sed per eam renovatam, ut ante
B 2 trans-

transparet. Vulgus dicit a bilioso humore in cutim effuso oriri, quod eo respectu, quo reticuli cum humore bilioso nexum esse diximus, verum esse potest, neque tamen vitiata organa biliosa hæ maculæ arguunt, nec ab internis bilem corrigentibus mediis curantur. *Videntur enim hæ maculæ, quoniam a solis ardore maxime oriuntur siccitatem reticuli iusto majorem indicare.* Quare nulla resolventia neque alcalica, neque acida, (quæ tamen melli mista CELSUS proposuit) exterius illita sensibilem effectum in cura producunt; humectantia autem & anodyna applicata plus præstant, velut infusum meracum florum fabæ aut verbasci, aut ipsi recentes hi flores cuti affricati. Pulticulam mucilaginosam ex farinis cum cimolia terra & aliis melle exceptis, a Tryphone quodam inventam laudat CELSUS l. c. *Vari* tamen profundiorum originem habere & ipsius cutis ulcuscula esse videntur, nam solitarii sunt & elevati ut papulæ & suppurantur. Ceterum ista deformitas faciei, quam *asperuginem* & *scabritiem* vocant, in qua epidermis non in planitiem extensa, sed elevatis squamulis hirta apparet, a mucii & reticuli defectu oriri videtur, plane ut lenticulæ, quare, si qua ejus emendatio locum habet, a mucilaginosi solis expectari debet. Cui scopo succus recenter expressus lumbricorum terrestrium cum pauculo spiritus vini aromatizati ad gratiam odoris mixtus adhiberi non incommode & cum fructu solet.

§. XII.

Ut autem scabies ab extra per contagium in
reti-

reticuli loca intrat, ita & per naturam ipsam humores maligni & excrementitii eum in locum deponuntur, inter quales morbos primum locum porri-
go habet, *ubi in capite inter pilos quasi squamulae surgunt, eaque a cute resolvuntur, & interdum madent, multo saepius siccae sunt.* C. CELS. L. VI. c. 2.

Capillatae partis in capite pruritus fere toti humano generi communis est, puerique non minus, quam adulti verticem scabere imprimis matutino tempore amant, eo usque ut ad inconcinnitatem morum referatur, si quis in consortio frequenter ungues inter comam habet, & pectines inventi sint, quibus sordes expurgari & pruriens immundities abstergi queat. Sed in statu naturali moderatus hic sensus, bonaeque sanitatis, praesertim quoad caput & cerebrum index est, qui tamen aliquando fit immoderatus morbosusque, per quem epidermis copiose in furfures resoluta cum intermistis humoribus nigrescentibus amaris & acribus ex capillitio excutitur, tanta saepe mole, ut colli humerorumque vestes conspergat, aut ubicunque stent vel sedeant, ejus pulveris vestigia conspiciantur. Nonnunquam pilorum bulbi simul exeunt, fitque calvities aut alopecia, nudae scilicet areae, pilorum postea nunquam feraces. Hic morbus pueris minime insuetus, rarior in adultis, his vero raro curabilis. Videturque hic morbus primam dedisse occasionem ut amylo & aliis fucatis coloribus aut corollis coronisque & similibus tegminibus vel mutuato crine non modo recentes, verum etiam antiqui populi capillitii
 B 3 scedi.

fecunditatem celare studuerint. Quin & plica polonica & ejusmodi excreta præternaturalia simili materiei originem dare credibile est. Ea autem materia non potest alia esse, quam ipse succus reticuli, nam ex tela cellulosa exsudare eo minus probabile est, quo parcius adeps naturaliter cranii ossa investit, ut fere pro nulla haberi queat. Cutis enim ipsa in tali morbo sana manet, neque tumore neque colore, neque ulcusculis, neque alia morbosa dispositione præter naturam se habet. Sub sola epidermide colligitur & in reticuli spatia per naturalia spiracula cutis pruriens hæc & molesta biliosa materia deponitur.

Multo evidencius id apparet in *porrigine humida*, scilicet in *favo capitis infantili*, quando materia viscida, colore melli respondens, per ipsam epidermidem copiose exsudat, crustamque super totum capillicium format, quæ cum iniquo pruritu & aliis molestiis multis, imprimis pediculorum fertili generatione per plures quandoque annos caput infestat, & nisi sollicitè repurgetur, ideoque liber malignæ materiæ fluxus permittatur, sanitati infantum gravissima detrimenta infert. Nam si excretio ista impeditur, solet eadem materia oculis maxime infesta esse, & imprimis uvea tunica perpetuo inflammari, ut per annos integros lumen ferre nequeant, quia pupillæ constrictio dolorosissima existit, in aliis etiam materia lemosa palpebrarum acrior reddita madarosis & alia oculorum vitia creet. Neque minus aurium ceruminosus fluxus ab impedito favi efflu-

xu augetur sæpe non sine periculo surditatis. Si quis capillitium infantis eo morbo affecti prima vice intuetur, credere possit, omnia ibi ulcerosa & ad ossa usque erosa esse, quod tamen minime se ita habet, nam si pars capitis prudenter ab ea materia liberatur, mirum est, quam integra epidermis subsit, sine ulla ulceris specie, nam mellea materia transsudavit solummodo, & per poros aut interstitia cuticulæ ita transmittitur, ut non modo hæc, sed multo magis ipsa cutis appareant sanissimæ. Eo enim ipso favi benignitas discernitur ab ea ulcerosa turpitudine contagiosa, quam *porriginem malignam* & *ferinam*, item *tineam* vocant, & quæ species *lepræ* est, cujus paulo post reminiscemur. Nam in hac porrigine ferina, si capitis particulam ab hac crusta liberamus, cutis ipsa ulcerosa; profundis foraminulis sæpe ad os ipsum tendentibus instar panni lanei a tineis & blattis perforati erosa spectatur, quæ igitur est cutis ipsius, imo forte cum ossibus communicans morbus, & plane alterius naturæ, quam illa *favi puerilis* excretio, quippe quæ aliquid critici habet, & in pueris sponte desinit, quam primum corpus a biliosis his sordibus liberum evasit, dum *porrigo ferina* per se nunquam, & per artem non nisi difficulter vincatur. Mellea autem favi benigni materia gustu est manifeste *amara*, & quasi *resinosa*, instar bilis inspissatæ, & propterea vix nisi in solo menstruo pingui resolvitur, nam si caput a crustis hisce melleis purgare animus est, nulla nec aquea nec spirituosa nec salina lotio quidquam prodest, sed solum butyrum
in-

insulsum recens, aut pinguedo suilla leniter affri-
cta mox ita crustam solvit, ut sine molestia a cuti-
cula integra post aliquot horarum spatium abiter-
gi queat.

§. XIII.

Ut igitur lenticulæ & aliæ constantiores fa-
ciei & colli brachiorumque quousque vestimentis
tegi non solent maculæ a defectu sufficientis mucii
reticuli videntur oriri, ita porrigo & favus & con-
generes morbi potius ab ejusdem succi augmento
præternaturali provenire ex supra dictis probabile
est. Experientia firmissima docuit ejusmodi excre-
tionem, quæ ut plurimum a quarto ad septimum
ætatis annum pueros infestare solet, si non impe-
diatur, sed potius frequenti capitis purgamento pro-
moveatur, juvenili deinde ætati maxime proficuum
esse, hominemque a juvenilibus & sæpe lethali-
bus chronicis morbis tutum præstare, inprimis cerebrum
& organa sensoria capitis roborare, quum e contra
innumeræ fatales historiæ monstraverint, ab ejus
impedito fluxu fatuitates, coecitates, narium item &
oris fœtores constantes, imo morbos convulsivos &
epilepticos, glandularum conglobatarum obstructio-
nes, marasmos, phtises & viscerum varios morbos,
præcipue tamen generis nervosi debilitatem & in-
dependentia commercii animi & corporis vitia ori-
ginem sumere. Ut enim, quibus sordes nigræ un-
guium non satis excernuntur, ad lapsum unguium
spontaneum, & ad quasdam paronychiæ species
disponuntur, ita hæc pruriens capitis materies, quæ

ut tunc quædam præbet, sed solentur præbet, ut

ut diximus, omni ætati, si modo moderata est, naturalis manet, in juniore autem ætate per favum copiosius & salutariter extra corpus ejicitur, hæc inquam, pruriens materia, per artificia varia retineatur, cerebri affectiones producere videtur. Quare hodierna capillitii crispandi & inungendi & amylo conspergendi methodus, quam ex Gallorum imitatione omnis Europa quotannis fere variat, non omnino ita semper tuta esse observatur, ut promiscuas illas variationes prudens paterfamilias absque cautela & providentia permittere posse videatur.

§. XIV.

Sunt etiam aliis in locis, præsertim manibus frequentes morbi cutanei, quos *herpetis* nomine distinguimus, qui sunt ulcera superficialia, serpentina, nullam habentia profunditatem. Herpes aliquando *humidus* est, in quo nulla epidermis generatur, sed macula quædam apparet similis illi, quæ a cantharidum emplastro recens apposito, post elevatam suam bullam excitatur, quæque manifeste ex tuberculis cutaneis copiosis, milii seminis magnitudinem habentibus, quæ anatomici pro sudoris organis describunt, perpetuo humorem serosum, salsum, quasi urinosum eruât. Hæc herpetis humidi ratio potius in cute ipsa, quam in reticulo quaerenda est, etsi eatenus etiam huc referri queat, quatenus reticuli & cuticulæ plenarius defectus ab illa producitur. *Herpes* autem *ficcus* ad morbos reticuli & ejus succi propius pertinet. Nam in hac neque cuticula plane deficit, neque mador vi-

C

sibi-

sibilis exit, sed potius cum pruritu continuo epider-
 mis desquamatur & instar furfurum decidit, hu-
 morque, qui inter cuticulam & cutim est, justo sic-
 cior & plus quam par est inspissatus & in membra-
 nâ quasi speciem mutatus, propter ipsam siccitatem
 hiscere, & rimas agere, eoque ipso nexum epider-
 midis cum corio solvere ejusque desquamationem
 producere videtur. Ut plurimum tales areae herpe-
 ticæ sunt coloratæ, profundius flavæ sub ortum
 suum lineam quasi circularem exhibent, qua certa
 cuticulæ portio tanquam sua periphæria includatur;
 postea hæc linea circularis successive fit latior, ut
 zonam formet in se redeuntem, donec tandem
 omne illud spatium quod intra eum circulum con-
 tinebatur per latiore factam zonam in similem
 naturam abeat, & nunc area sit herpetica, quæ ab
 initio linea aut zona erat. *Herpes humidus* etiam si
 molestus, tamen sæpe salutaris est, nam hominem
 ab acrimonia quadam urinosa, quam natura ibi ad
 cutim deponit, liberat, ideoque sæpe non sine sani-
 tatis detrimento persanatur nisi per urinæ vias, aut
 per alias cutis aperturas artificiales materia maligna
 possit evacuari. Sed plane aliter se *herpes siccus*
 habet, qui ad nullam rem utilis, & plene totoque
 genere præternaturalis hominem fedat sine fructu.
 Est enim a maligno humore, sæpe contagioso, in-
 starque scabiei, ex homine in hominem migrat, ne-
 que multum a vero aberrat, qui pro primo gradu
 lepræ talem herpetem habere velit, a quo tamen &
 causa & effectibus differt.

§. XV.

Lepra enim vetustissimus Syriae & Arabiae morbus, qui deinde contagio in Græciam, & per Mauros in Hispaniam delatus, exinde per Galliam & Germaniam serpere coepit, is nunc quidem in Europa maximam partem extinctus reliquit tamen sui vestigia, ex quibus naturam ejus divinare licet. *Eadem autem vestigia non aliam sedem diræ hujus luis, ad minimum in principio ejus, statuere permittunt quam rete malpighianum*, nam quando morbus adolevit in ea sede primaria non continetur, sed vicinis etiam partes attingit easque misere lacerat, id quod commune habet cum aliis morbis malignis contagiosis, ut lue venerea, scorbuto, scabie, cancro, que ex primario suo loco successu temporis evagantur & omnia vicina erodunt ad ossa & viscera usque. Quare si de lepræ sede judicium ferre placet, ea in suo ortu consideranda est, non in eo gradu suæ processions, quo ab aliis magnis morbis non amplius distingui potest.

Non est hic locus neque intentio, ut veterum de hac lue monumenta colligam, aut quale discrimen inter lepram græcorum, cujus elegans descriptio *Aretæi cappadocis* nota est, & arabum fuerit expendere, quoniam talis inquisitio limites & scopum libelli academici longe foret excessura. In ea certe utraque ea lepra conveniunt, quod prima ejus apparitio in suprema fiat cute, quam per plures annos turpiter scedat, nec eo tempore sanitatem viscerum aut carnum ladir, donec aucta ejus virositate

tate totum pervadat hominem. Ubi quidem facile credi potest quod secundaria & accedentia sympto-
mata pro regionis calidioris vel frigidioris, item
diætæ & vitæ generis, & aliarum causarum mor-
bosarum adjunctarum diversitate aliam morbi faciem
& rationem producere, diversamque sic descriptio-
nem desiderasse videantur. Neque minus diversa
ejus tractatio medica & politici ad eam eradicandam
institui apparatus ratione contagii & veneno-
sitas aliquam inducere potuere varietatem. Nam
in Hispania hodie adhuc non parum furere vide-
tur hæc lues, ut ex itinerario novo anno 1764. per
illud regnum instituto, & in cel. BUSCHINGII
collectionibus, Magazin für die neue Historie und
Geographie, Tom. II. inserto videmus. Extra
Granadae urbis muros scilicet nosocomium pro leprosis
extractum visitur, in quod ex toto regno, qui hoc
morbo affecti sunt, recipiuntur. Lues autem ista ma-
xime grassatur ab ora alpujarae ad malagam usque,
tanquam parte Hispaniæ meridionali & calidiori. Le-
pra ibi morbus est contagiosus & insanabilis, si-
mulque hæreditarius in familiis. Erodit carnes ut in-
tegra sæpe membra decidant a corpore. Appetitus
ciborum integer manet, ægerque orthostadium & vi-
res suas conservat, donec ad viscera usque vene-
num penetraverit. Vetant ibi usum vini, nec ægris
nisi alimenta refrigerantia concedunt etc. Felicior
fuit GALLIA, in qua olim frequens lepra occasio-
nem de lic condendarum domuum leprofarum,
quas Galli maladeries & leproseries vocant. Qui
mor-

morbus dein pedetentim cessavit, quumque reditus earum domuum, in alienos nec debitos usus converti cœperint, rex *Christianissimus Ludovicus XIV.* eos ex toto regno contraxit, & singulari edicto 20. Febr. 1673. ordini *S. Lazari* assignavit. Quod edictum pro parte revocatum est 1693. vid. *Journal des Savans* 1706. p. 648. De lepra Gallorum legi etiam *Julius Palmarius* potest de *morb. contag.* c. 9. vixit autem hic vir medio seculo XVI. quo igitur lepra per Galliam adhuc sævit. In *Brabantia* & *Germania inferiori* non minor ejus superioribus seculis sævities tunc, ut vel sola *P. Foresti* observationes docere possunt, quare & ibi leprosarum passim condita reperimus, quæ hodie aliis usibus sunt destinata, nam furor morbi desit.

Bavaria & *Suevia* non videtur ignotus esse morbus, de quo multum disputat *Theophrastus Paracelsus*, nec recentiora exempla desunt. Etsi igitur pluribus in locis abominabilis hujus morbi grassatio cessaverit, semina tamen ejus supersunt, ex quibus de genio illius concludere liceat, præsertim si comparentur cum incredibile illo gradu hujus mali, quo adhuc in *Brasilia americana* regnat, unde non rarissime homines ex *Surinamensi* colonia eo morbo affecti in germaniam redeunt, crudelemque ejus rabiem visendam offerunt.

§. XVI.

Est autem in germania inferiori talis fere ortus morbi. Sponte nasci non videtur, sed ut plurimum

rimum hæreditarius est, matres imprimis propagant, magis quam pater, facilius etiam in filias, quam in filios a matribus transit. Quæ absque mali suspitione vivunt ad vigesimum & ultra ætatis annum, tum præter opinionem & absque ulla diætica causa illis hinc inde maculæ splendentes in summa cuticula emergunt, quæ varii coloris, ut plurimum subrubræ, nonnunquam leviter viridescentes graviorumque symptomatum prodromi sunt. Nulla in his maculis humiditas, sed potius aridissima siccitas. Pergunt oriri maculæ novæ super brachia, femora & suras, tum in thorace & collo. Non raro etiam in facie. Ex maculis furfures decidunt, sed renascuntur prompte, epidermisque sensim ibi crassior & callosa evadens squamas vel monticulos planos format, sine dolore, sine pruritu memorabili, & sine alterius functionis læsione præter sceditatem cutis. Procedente malo cuticula hinc inde rimas agit & superficiales fissuras inter digitos manuum pedumque format, quorum labia prætumida & callosa sunt, sanguinemque facile stillant. Tum similis in narium alis erosio succedit, unde in cavitatem nasalem & in palatum serpit. Hæc ita per plures annos durant, donec malum exasperatum non amplius in cuticula & summa cute hæreat, sed eam altius penetrans nunc tumores formet. Qui tumores omnium primi observantur in locis, ubi cutis nudam cartilaginem tegit, ut in pinnis aurium, nasi alis & septo; initio sunt indolentes, cuti concolores, deinde sensim rubicundi fiunt & exulcerantur serpenteque

que eo fere modo quo cancer carcinomatofus cuncta depafcit. Interim cuticula non erofa fit magis fcabra, & inprimis in digitis craffiffime intumefcit, affumitque formam ejus cuticulæ, quæ pedes pfitta-ci feniore conteggit, nam hujus fimilitudo multo major eft, quam cutis elephantinæ, quacum veteres eam comparaverunt, & nomen elephantiafeos inde mutuarunt. Ad eum gradum in Europa folet adhuc hodie morbus pervenire, cujus ulterior progreffus vel medicamentis impeditur, vel folet internarum functionum læfiones accedere, ut phthifici vel ex febre moriantur. Ex Surinamendi autem Colonia reduces vifi nobis funt, quorum adfpectus horrentior fuit. His omnes cartilagine & ligamenta fucceffive exficcantur, inprimis in digitorum internodiis, quare horum ad fe invicem adhæfio imminuitur, ut unus digiti articulus poft alterum ex levi violentia decidat, abfque ullo vulnere aut exco-riatione relicta. Decidit articulus, ut pomum matu- rum a ramo arboris, cui pedunculus junctus erat fine figno fracturæ aut læfionis continui, nam trun- cus digiti refiduus fua craffa epidermide jam tectus erat ante cafum articuli vicini. Tum incipiunt debiles fieri, carnesque confumi, craffities autem epi- dermidis magis in toto corpore augeri, ut tandem omne fere nutrimentum in cuticulam abfumi videatur. Nam appetitus ciborum remanet, & circula- tio fanguinis in interioribus falva eft, respondent quoque excretiones alvi & urinæ. Respiratio au- tem pedetentim lædi incipit, nam rauca vox fit &
car-

cartilagine laryngis, uti & segmenta bronchiorum exsiccantur, pulmo fit immobilior. Tum sensus imminuuntur, ut plurimum ante mortem cæci fiunt, crassa quadam & squamosa crusta totum oculi bulbum obducente. Tactus in toto corpore perit. Tandem exsucco & fracti viribus placide moriuntur.

§. XVII.

In primo stadio symptomatum, quamdiu epidermis sola cum subiecto reticulo sedes est macularum & squamarum, in his regionibus morbus non est contagiosus, nam exempla copiosa sunt maritorum ab uxoribus ita se habentibus non infectorum. Sed ubi eo usque processit, ut nares erodantur, tum jam illis, qui propius cum infecta commercium habent, periculosum est contagium, inprimis matrimonio junctis; ubi autem tertius gradus, ut articuli decidant, & cuticula pedes psittaci æmuletur cum respirationis difficultate, tum malum venenatum valde evadit, a cujus receptione sibi quilibet cavere debet.

§. XVIII.

Leprosa materia, si secundum phænomena omnia conjunctim sumpta consideratur, est valde singularis, initio magis exsiccans, quam acris, licet in progressu talis omnino fiat. Videtur igitur ad canceri naturam propius accedere, qui in initio durus & firmus tandem fit acerrimus, qui præterea etiam hæreditarius est, nec nisi certa ætate malignus evadit, & non raro contagiosus observatus fuit, quæ
omnia

omnia sic in lepra quoque se habent. Differt autem lepra a cancro loco collectionis, & pluribus symptomatibus, imprimis in eo, quod cancerosa materia nervos intactos linquat, siquidem ulcus carcinomatofum semper dolorissimum manet, leprosa vero materia nervos potius exsiccat, insensilesque reddat, ut rhagades & ulcera exinde orta fere insensilia sint, imo integrorum membrorum jactura sine dolore fieri queat. Præterea ut jam diximus pro cæli & nationis varietate, & methodi qua tractatur differentia eadem materia magis minusque maligna evadit, ideoque symptomatum varietatem in differenti- bus regionibus necessario infert.

§. XIX.

Morbus leprosus tam veterum quam recentiorum testimonio curatu difficillimus, imo ne quidem viperarum carne quam *Aretæus* Cappadox tanquam specificum proposuit, multum alteratur. Mercurius vix quidquam prodest. Antimonialia vero diu & ita data, ut vomitivus effectus non nimium sit suppressus & imminutus, aliquid efficere observantur. Aquam marinam quotidie ad quatuor uncias & ultra potatam in lepra nondum confirmata egregiam habere virtutem non paucis exemplis verissimis constat.

§. XX.

Sunt etiam acuti quidam morbi, qui rete malpighianum destruunt, & imprimis purpura. Litem hodiernam medicorum, an purpura vere existat tanquam

D

quam

quam morbus singularis, vel methodo tantum mendendi calidiori semper sit tribuenda, meam quidem non facio, nam etsi certissimum sit tali methodo pluribus in morbis putridis exanthemata præter ullam necessitatem expelli posse, tamen experientia potius a priorum stare parte, illique qui existentiam negant, ex sola hypothese docere & grassationem veræ purpuræ forte nondum observasse videntur. Hoc certo præsentis & proxime antegresso anno latissime regnavit, & non obstante methodo refrigerante adhibita decursum suum accurate ut majores nostri eum descripserunt ita regulariter servavit uti variolæ & morbilli suum decursum habent. Hujus morbi ortus ut plurimum circa initium hujus seculi & in germania quidem factus esse statuitur. Qui tamen antiquior est, nam egregius auctor ROBERTUS SIBBALDUS, Medicus & Geographus Regis Anglorum Caroli II. in *Scotia illustrata, sive prodromo historiae naturalis Scotiae* Edinburgi impresso 1684. P. I. L. II. C. V. quod
 „ agit de febribus in Scotia grassari solitis, quemad-
 „ modum inquit indies crescit hominum luxuria, ita
 „ & novi succrescunt morbi, veteribus si non cogni-
 „ ti, intacti tamen. Nec mirum, quum ab insolitis
 „ cibis & varia eorum mixtura novæ oriantur hu-
 „ morum depravationes. Inter multos autem mor-
 „ bos, qui huic seculo (XVII.) originem debent,
 „ nuperrime febris observata est, quæ *Scarlatina*
 „ dicta est a coccineo colore, (Scotis lingua vernacula
 „ *Scarlet* appellata) quo cutis fere universa
 „ tin.

„ tingitur. Hujus morbi non ita frequentes obser-
 „ vationes sunt, ut inde accurate ejus theoria tradi
 „ & curandi methodus extrui potuerit. Unam
 „ observationem apponam, reliqua accuratior ob-
 „ servatio complebit: Puella octennis cum febre
 „ valida per quinque dies durante super totum
 „ corpus ruberrimo colore perfusa fuit, ad tactum
 „ aspero & leviter tumente. In aliis post rubedi-
 „ nem pustulæ per totam cutim erumpunt, instar
 „ capitis aciculæ, quæ maturatæ & arefactæ crustu-
 „ lam deponunt. *In adultis tota fere cuticula deci-*
 „ *dit.* Paucos ex ea febre mori affirmant. Dici-
 „ tur incipere cum angina. Alio ejusdem capitis
 „ loco eas *febres* auctor vocat *purpuratas*, & maxi-
 „ mum periculum apud suos esse a subito macula-
 „ rum recurſu adfirmat, quia febris cum dyspnoea
 „ intenditur & alvi fluxus supervenit, raroque æ-
 „ gros tunc mortem effugere. Hactenus SIB-
 „ BALDUS

§. XXI.

Nam eam solam ob causam hanc SIBBAL-
 DI relationem adduximus, quia medicis minus nota
 majorem hujus morbi antiquitatem indicat. Recte
 autem observavit vir laudatus, quod in *morbo Scar-*
latino & purpurato cuticula integra decidat. Unde
 certum est, Scarlatinam materiam in succo reticuli
 depositam, nec eam ipsam effectam fuisse, nisi
 quod in purpura illi simul noduli cutanei, quos
 pro sudoris organo habent anatomici, sanguine si-
 mul impleti & turgentes spectentur. Sedes igitur

tur purpuræ & Scarlatinæ materiæ plane alia, quam in variolis & morbillis est, quippe quæ cutim veram simul cum pannicolo adiposo tumidam reddunt & exulcerant, ut aliquando profundæ cicatrices remaneant, imo cutis ad panniculum usque adiposum in variolis exesa fœdo callo per naturam debeat resarciri. Quum igitur supra reddidimus probabile, succum retis malpighiani naturaliter esse biliosum (§. IV. VI.) & quum in eodem succo flavus ictericus color etiam diffundatur (§. VI.) & mellea materia favi infantilis etiam amara sit (§. II.) quæ certissime aliam sedem non habet, quam ipsum reticulum, inde non male concludetur, *materiam etiam Scarlatinam & purpuraceam biliosæ originis esse*, & eatenus recte judicare eos, qui docent, purpuram anteverti posse, si satis cito & mox in principio morbi cholagogis medicamentis venenum susceptum expurgetur, cui sententiæ experientia omnino adstipulatur.

§. XXII.

In purpuræ morbo non instar furfurum cuticula decidit uti in morbillis & in prurigine aut lepra, sed *integræ membranæ simul cum reticulo adherente abscedunt*; fere uti post cantharidum applicationem. Quod phænomenon ad ipsam hanc *cantharidum actionem considerandam* nos ducit. Illud acre, quod in his infectis latet & ad epidermidis solutionem facit, est resinosum ex aromaticis herbis in abdomine collectum, sed animalibus & vicalibus eorum animalculorum viribus magis excoctum,

Etiam, ut quodammodo possit biliosum vocari. Id
 acre si cuticulæ applicatur, hanc minime erodit, nam
 cuticula integra & cohærens in vesicam elevata
 detrahitur; neque proprie cutim erodit, siquidem
 nunquam hæmorrhagiam excitat, etiamsi cutis ab
 ejus vellicatione maxime rubeat & quasi inflamma-
 ta videatur, nec cutis crassitiem absumit, quam po-
 tius tumidiorem reddit, ut ex poris ampliatis hu-
 mor ferrosus extrahatur, sed in solum fere succum
 reticuli agit, hunc solvit, cohæsiõnem igitur cuticu-
 læ & cutis tollit, adeoque aperit vasa cutanea, in-
 primis sudorifera, nam post detractam cuticulam
 omnes illi noduli ex quibus sudor exhalare credi-
 tur, tumide factæ cutim anserinam dictam referunt,
 id est, *purpuram artificialem* ejus loci efformant.
 Alia septica cuti applicata plane aliter agunt, nam
 sinapi & catarchica sub forma phcenigmi applicata
 in epidermidem & reticulum nil agunt, sed altius
 penetrando ipsam cutim vere inflammant, imo suffi-
 cienti mora veros abscessus excitasse sunt visa. Me-
 tallica autem acria comburunt omnia, sphacelum ex-
 citant, substantiamque solidorum consumunt, ut in
 foniculorum excitatione & chirurgicis aliis opera-
 tionibus apparet. Quare non omne acre aptum est
 ad reticuli succum solum solvendum, sed tale tan-
 tum, quod resinosam & amarã biliosam habet na-
 turam, scilicet talem, quæ cum ipsius hujus succi
 qualitate convenit.

§. XXIII.

Cum purpura in multis rebus & in epidermi-

D 3

dis

dis etiam integræ remotione convenit ille dirissimus & fere pestilens morbus epidemicus, qui anno 1749. & 1752. per magnam Europæ partem grassabatur, *angina scilicet gangrænosa*, quam superioris seculi anno 1618. sibi vitam sub titulo *pædanchonæ pestilentis* descripsit vir optimus, MARCUS AURELIUS SEVERINUS in tract. de *abscessibus* p. 428. sqq. notans simul, eam *Aretæo cappadoci* cognitam, & ab *Amideno* quoque designatam fuisse. Nostra ætate inter angios a cel. FOTHERGILL, & inter Gallos a cl. MALOVIN singularibus schedismatibus hujus morbi historia est exarata, & quæ in tractu Rheni inferioris de eo observata sunt, exhibuit cel. DE BLECOURT in opusc. Soc. litt. Duisb. P. I. Ex symptomatibus autem malignis hujus luis id solum hic monemus, quod quando contingebat, ut a pulmonibus & faucibus venenosa materia in artus externos traheretur, semper aliqua purpuræ species effloresceret, ut plurimum cum salute ægrotantis, tumque cuticula late a cure secedebat, ut infantibus integræ aliquando chirotece potuerint a manibus, aut focci de pedibus abstrahi. Erat autem illud venenum dysenterico simile, nisi quod fauces potius quam intestina occuparet, iisdem enim annis supra citatis dysenteria late grassabatur, & alia symptomata adjuncta idem confirmabant, quare hoc miasma in humoribus corporis humani biliosis maxime hæere fuit visum.

§. XXIV.

Ignis etiam qui inter 200 & 250 gradus se-
cum-

cundum Farenheitii mensuram est, & aqua in dictis gradibus fervida similiter reticuli succum solvit, ille scilicet caloris gradus, in quo omnes resinae verae emolliuntur aut solvuntur. Qui enim ignis est fortior, ille sphaelum potius producit, id quod ambustionum differentes gradus demonstrant, uti & artificia anatomica, quibus cuticulam separare conamur.

§. XXV.

Lenta tandem putredo in aere humido & calido instituta eundem effectum praestare non modo in mortuis exuvia a fetu intra matrem mortuorum docent, sed etiam in viventibus primus gradus gangraenae epidermidem non erosam a cute elevat. Qua lenta putredine totius succi hujus visciditas magis solvi videtur.

§. XXVI.

Per sequens phaenomenon apparet succum retis malpighiani tardissime & parum immutari, quando scilicet pulvis pyrius prope cutim incensus, aut ex bombardis vel alio firmiori canali per ignem versus cutim explosus, globulos quosdam non incensos sed adhuc integros per epidermidem usque ad cutis superficiem impellit. Haec enim grana pulveris pyrii nigra, nisi cultello vel simili instrumento effodiantur, per plures annos, imo per universam saepe vitam ibi sine mutatione haerent, maculisque nigris faciem sedant, quod in venatoribus & militibus, aliisque, qui instrumenta pyrobolica tractant, frequenter observatur. Constat autem pulvis pyrius ex nitri sale

le, ex sulphure vivo atque carbone ligneo. Nitrum facile solvitur, non in aqua modo, sed etiam in mucilagine quavis, quare in nitro non videtur causa tam diuturnæ nigredinis hæere posse. Sulphur vivum facile solvitur in omnibus fere corporis humani humoribus, quippe qui nunquam mere aquosi, sed per admistam pinguedinem semper saponacei sunt; sulphur autem vivum in omni pingui liquore, in oleis æthereis, in axungia quavis, in urina, in sudore, in ipsa, si diutius cum eo teritur, saliva colliquescere ut notum ita certum est, quare etiam in sulphuris pertinacia non videtur tam diuturni coloris ratio quærenda esse. Restat igitur carbonis ligneus, cujus tenacissime inhærens ater color in succum reticuli illatus eum constanti fuce nigro inficere potest. Ex quo exemplo patet, varii & constantissimi caloris eum succum esse capacem, quod facit ad confirmanda ea, quæ supra de naturali æthiopum & de præternaturali variorum morborum colore asseruimus.

§. XXVII.

Quum tota doctrina de reti malpighiano ejusque succo in brutorum corporibus primum genita atque tum analogice ad hominis anatomiam traducta sit, licebit colophonis loco addere, *quomodo se in nonnullis piscibus habeat*. Sunt autem pisces, qui cutim veram nullam habere videntur, quos malacostracos rerum culinariarum scriptores nuncupant, velut *salmo, lucius, perca* & ejusmodi, nam hi, si ad usus cibarios in aqua elixantur, dura eorum
squa-

squamosa epidermis a carnibus integra secedit. In
 averfa autem vel interna ejus epidermidis superfi-
 cie tenerrima quædam & alba splendens membra-
 na spectatur, quæ per ipsam elixationem in mu-
 cum tenacem, digitis valde adhærentem, ichtyocol-
 læ naturam habentem convertitur, & in aqua fer-
 vida satis diu applicata vere solvitur, tamen si iterum
 refrigeratur in membranæ speciem denuo concrefcit,
 ut igitur pro vera membrana aut cute haberi non
 debeat, quippe cujus solidæ fibræ tam cito non dif-
 solvuntur. Hæc membrana mucosa in vivo & in
 mortuo tali pisce firmiter conglutinat epidermidem
 & carnes, & cum his ita cohæret, ut sine carnum
 laceratione nunquam detrahi possit, nisi prius piscis
 percoctus sit, quin & coqui pro criterio sufficientis
 elixationis habent, si crusta squamosa a carnibus
 promte removeri potest, quibus phænomenis cum
 succo reticuli in homine hic piscium succus satis con-
 venit, excepta adhæsiōne ad nudas carnes. Si quis
 hanc mucosam membranam potius pro tela cellulo-
 sa, quam pro reticulo malpighiano habere velit, non
 movebimus litem, nobis vero visum fuit, eam nil si-
 militudinis cum tela adiposa brutorum quadrupe-
 dum & hominis habere, quia adipem non continet,
 sed mucum fastidiosi & nauseosi saporis, qui verno
 tempore, uti & si non in fluente sed in stagno vixe-
 runt pisces verissime amaricat, imo quandoque car-
 nibus ipsis, quibus adhæsit, aliquid nauseosi saporis
 adfricat, inprimis autem, quia cum squamosa epider-
 mide immediate cohæret, & cum ea detrahitur, quod

E

tela

tela cellulosa nusquam facit. Variat autem hujus succi natura pro fluvii, ex quo piscis captus est, differentia, dulcior est si ex parvo amne lapidoso, amarior, si ex magno flumine coenoso & pingui extractus fuit. In dorso piscis, ubi carnes ejus ad spinam usque divisæ quasi duo hemisphæria constituunt, profundioris succi est coloris & super cellulosam membranam, quæ axungia portiuunculam amaræ priori substantiæ admiscet extensa est, in quo igitur loco ipsi carnibus non adhæret, sed ab illis per cellulosam substantiam, sine cute tamen, sejuncta apparet siquidem utriusque substantia sine discrimine confluit. Ipsæ autem horum piscium carnes etsi ex fibris directis sint compositæ, tamen etiam transversim in partes quasi tessellatas disjunctæ sunt, eo fere modo quo cortex cerebri brutorum & hominum per introgredientem membranam piæ matris in suos loculos distinguere observatur, quæ distinctio an membranulæ antehac descriptæ & a spina dorsi in carnes continuatæ, vel alii cuidam telæ adscribenda sit, neque asserimus neque negamus.

§. XXVIII.

In gammaro fluviatili sub ea crustæ tartaræ parte, quam caudam articulatam vocamus, uti etiam in trunco est membrana quædam mucosa, quam an pro reticulo vel pro tela cellulosa haberi debeat ambigimus, nam in his animalculis bene pastis succum dulcem, mucilaginosum, gustui gratum continet. Sed in chelis eorundem gummarorum, caro connascitur ipsi crustæ mediante membrana tenerrima.

ma. Ostracon autem ipsum vel dura crusta chelidis in superficie interna quodammodo reticulatum aut cancellatum, id est, fissuris & feveolis distinctum, in quibus hæc dura crusta cum suo reticulo connata vel forte ex eo formata apparet. In cochlea testacea limacum cares adhærent ipsi tartareæ crustæ sine ulla, quantum nobis visum est, membrana intermedia.

§. XXIX.

Ex illis quæ in medium protulimus, constare putamus, succum reticuli malpighiani esse humorem sui generis; amarum plerumque & biliosæ prospiciæ; non in omni corporis parte æquabilem nec ubivis sibi similem; non modo varii coloris sed etiam variarum morbosarum materiarum sedem; cujus natura per externa contagia lædi possit; in quem etiam natura internas impuritates deponere queat; qui habet consensum & affinitatem cum interiori intestinorum tunica, & cum cartilaginum & forte ossium integumentis subcutaneis; ex ejus igitur præternaturali statu ad internas pravas dispositiones posse concludi.

T A N T U M.

T H E S E S.

- 1) Qui statuunt, rubedinem post partum nunquam oriri a pressione aortæ descendentis, graviter errant.
- 2) Non omnes motus ventriculi & intestinorum, qui

- qui in vita contingunt, nobili invento irritabilitatis perill. HALLERI, sed partim influxui liquidi nervei tribuendos esse statuimus.
- 3) Demonstrabile est, in ileo nonnunquam dari retrocessum foecum per valvulam coli.
 - 4) Contra BOERHAVIUM statuimus globulum cruoris non constari ex sex globulis serosis, ejusque fictam vasorum sibi succedentium seriem non admittimus.
 - 5) Obstructionem esse inflammationis causam, BOERHAVIANIS nullatenus concedimus.
 - 6) Mors fulguratorum partim tribuenda terrori, partim privationi aëris elastici.
 - 7) Fibra tendinosa interdum offescit, nunquam vero musculosa.
 - 8) Non in semine masculino, sed in ovulo materno stamen futuri hominis contineri, asserimus.
 - 9) Quæ de pressione corticis cerebri ad somnum & morbos soporosos faciente passim statuuntur, dubia aut manca esse probantur partim ratione, partim experimentis cl. LORRY in Comment. Acad. Paris. Memoires des estrangers Tom. 3.
 - 10) Animæ imperium in organa vitalia extendi, probabile est ex animi pathematibus, aliisque rationibus doctissimi BOISSIER de SAUVAGES in nosol. method.



huius foci
 est, differen-
 lo, amariori
 xtractus fuit
 usque divi-
 profundi-
 membranam,
 ori substan-
 loco ipsis
 thulolam sub-
 aret siquidem
 onfluunt. Ipse
 fibris directis
 in partes
 modo quo
 per introgre-
 s loculos di-
 branulae an-
 s continua-
 neque affe-
 ita torrece
 as, ut enim
 coli quam
 beri debeat
 pitis lue-
 rum con-
 rum, caro
 reatit
 ma.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray

TIFFEN® Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W				K			C	Y		M		